

creto Unionis; atqui aqua nondum conversa in vinum non est vinum ex vite, imo nullatenus vinum, ergo, etc. Hinc Innocentius III, in cap. *Cum Marthæ* 6, De celebrat. missar., § *Quæsivisti*, rejectis duabus aliis sententiis, videtur aperte asserere, nostram opinionem asserentem aquam prius in vinum converti esse probabiliorem. Et idem Innocentius III, lib. IV *De altaris mysterio*, cap. 31, expressius suam mentem in hoc explicat præcisus his verbis: « Quibusdam vero non absurdum videtur, quod aqua cum vino transit in sanguinem, ea videlicet ratione, quod aqua per admisionem transit in vinum et vinum per consecrationem transit in sanguinem; quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ? » Et Catechismus Romanus *De Eucharistia* cap. 4, tradit, hanc opinionem de conversione aquæ in vinum esse scriptorum ecclesiasticorum testimonio roboratam.

(28. Si venditor vini nequit consequi justum ejus pretium, vel ex quo sit injuste taxatum, vel ex quo emptores ob suam iniquitatem nolint justo pretio emere, potest ipsi infundere modicam aquam ad se reddendum indemnem; dummodo nullum damnum sequatur emptoribus. *Vide verb. EMPTRIO*, art. 3, n. 26.

(29. Item si emptores abhorreant a vino nimis meraceo vel rigido emendo, ut nisi aqua aliquantum temperetur, non appareat emptoribus ejus præstantia, et justus valor, et ideo venditor cogatur minoris justo pretio vendere, vel omnino repellatur, tunc potest venditor aliquantulum aquæ ipsi infundere ad reddendum ipsum tenuius et suavius, et se reddendum indemnem; dummodo emptoribus nullum omnino sequatur damnum, et venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de aqua. *Vide ibid.*, n. 27. (*Vide etiam notam ibidem appositam.*)

(30. Vinum dicitur spurcari per mistionem aquæ. *Glossa Marginal.*, in l. *Si servus*, ff. *Ad legem Aquil.*; *Ursaya*, in 2 *Miscellan. sacr. et profan.*, litt. V, n. 39.

(31. Vinum terræ sanguis appellatur ab Androcyde penes Plinium, lib. XIV, c. 5, quem secutus fuit Raynald, tom. II, cap. 13, § 2, n. 120; *Ursaya*, *Inst. crim.*, lib. III, tit. 1, n. 74, et 1 *Miscellan. sacr. et profan.*, litt. V, n. 117.

(32. Alia de vino et aqua pro sacrificio

VIOLENTIA.

Vide verb. CONSERVATORES, art. 2, n. 5 et 6.

VIR.

(1. Vir extra paradysum fuit formatus, mulier vero intra paradysum. *Genes.* cap. II, et can. *Illud* 9, dist. 40, ibi: « Illud autem animadvertit, quod extra paradysum vir factus est: intra paradysum mulier, ut advertas quod non loci, non generis nobi-

missæ. *Vide verb. MISSA*, art. 8.

(33. Valde attendendi sunt ad rem sequentes sacræ Scripturæ textus, videlicet: *Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitationibus relinquit contumeliam* (*Proverb.* XII, 11). *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens* (*Proverb.* XX, 1). *Qui amat vinum, et pingua, non ditabitur* (*Proverb.* XXI, 17). *Cui vae? Cujus patri vae? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* (*Prov.* XXIII, 29 et 30.) *Ne intuearis vinum; quando flavescit; cum splenderit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet* (*Proverb.* XXIII, 31 et 32). *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* (*Proverb.* XXXI, 4). *Vinum novum amicus novus; veterascet, et cum suavitate bibes illud* (*Eccle.* IX, 15). *Vinum et mulieres apostatate faciunt sapientes, et arguent sensatos* (*Eccle.* XIX, 2). *Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem* (*Eccle.* XXXI, 22). *Diligentes in vino noli provocare; multos enim exterminavit vinum* (*Ibid.*, 30). *Exsultatio animæ et cordis vinum moderate potatum* (*Ibid.*, 36). *Sanitas est animæ, et corpori sobrius potus* (*Ibid.*, 37). *Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit* (*Ibid.*, 38). *Amaritudo animæ vinum multum potatum* (*Eccle.* XXXII, 39). *Vinum et musica lætificat cor* (*Eccle.* LX, 20). *Et vinum lætificat cor hominis.* (*Psal.* CIII, 15). *Hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt; sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.* (*Isa.* XXVIII, 7). *Bonum est non bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21). *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, non vinolentum: I ad Timoth.* cap. III, 3, et *ad Titum* cap. I, 7; *Et diaconos similiter... non multo vino deditos: I ad Timoth.* cap. III, 8; *Anus similiter... non multo vino servientes: ad Titum* cap. II, 2; *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates: I ad Timoth.* cap. V, 23.

lia, e, seu virtute unusquisque gratiam comparat sibi. Denique extra paradysum (hoc est in inferiore loco) vir factus, melior invenitur, et illa quæ in meliori loco (hoc est in paradiso) facta est, inferior invenitur. »

(2. Viri in principio mundi acceperunt

sorores in uxores. Can. *Cum igitur* 1, caus. 35, q. 1.

(3. Vir circa uxorem peccat graviter, præsertim in octo casibus. Primo, quando sine justa causa illam retrahit ab implementatione et observantia præceptorum, quæ obligant sub mortali. Secundo, quando illi permittit peccare mortaliter, et non corrigit, cum debeat et possit. Tertio, quando ante elapsum bimestre, vi ab invita uxore obtinet copulam. Quarto, quando sine justa causa denegat uxori petenti debitum conjugale. Quinto, quando ex levi causa illam graviter percutit, et animo injuriandi afficit verbis valde ignominiosis. Sexto, quando dissipat ejus dotem et etiam suum patrimonium in ejus grave præjudicium, vel non laborat, cum laborare juxta suam conditionem possit; et alias ejus labor ad uxoris sustentationem sit necessarius. Septimo, si

VIRGA POENITENTIARIORUM.

(1. Quoad virgam poenitentiariorum datur hic ad litteram consultatio vigesima secunda tomi primi D. Jacobi Pignatelli, ut sequitur.

CONSULTATIO XXII.

An canonicus poenitentiarius in cathedrali ecclesia uti possit virga, sive, ut aiunt, bacchetta?

(1. Non potest. Quia est præjudiciale poenitentiariis ecclesiarum patriarchalium Urbis, et novitatis introductivum. Quippe quælibet cathedralis poterit sibi tanquam licitum arrogare quod in simili Romæ gestum fuerit. Non enim talis canonicus poenitentiarius est poenitentiarius D. Papæ, sed institutus ob observationem decreti conc. *Trid.*, sess. XXIV, c. 8, *De reform.* Cum autem tenere virgam in manibus sit signum supræmæ auctoritatis, unde solus summus poenitentiarius illam tenet, eoque præsentem, minores poenitentiarii virgam dimittunt: ideo concedi non debet cuicumque poenitentiario cujuslibet ecclesiæ, sed solum illis qui immediate sunt poenitentiarii Summi Pontificis.

(2. Accedit resolutio sacræ congr. super causa *Abulensium*, anno 1597, die 24 Aprilis. Quæsitum enim fuerat an canonicus poeni-

datam ei fidem matrimonialem violet. Octavo, si eam aliquo morbo contagioso per copulam ab ipsa invita extortam inficiat. Sic doctores communiter.

(4. Vir ab uxore et e contrario uxor a viro ad maritalis consortium severioribus canonum remediis cogi potest. C. *Litteras* 13, De restitut. spoliati., cap. *Ex publico* 7, De convers. conjug., cap. *Non est* 11, De sponsalib. et matrimo., et c. *Pervenit* 5, De conjugio leprosor., et sacr. congr. Concil., 10 Septemb. 1695, et Benedict. XIV, constitut. incip. *Pastor bonus*, § 50.

(5. Alia ad rem *Vide verb. ADULTERIUM*, verb. *BONA*, verb. *DELECTATIO MOROSA*, verb. *DIVORTIUM*, verb. *DOMINIUM*, verb. *DOS*, verb. *AFFINITAS*, verb. *LUXURIA*, verb. *MARITUS*, verb. *MATRIMONIUM*, verb. *TACTUS*, verb. *UXOR*.

tentiarius teneretur auscultare confessiones etiam non reservatorum? An sedere et assistere in sede determinata statis temporibus, et horis ante et post meridiem? An deberet tenere virgam in manu, sicuti servatur in patriarchalibus Urbis? Et responsum fuit affirmative ad duo priora quæsita; ad tertium autem, novas consuetudines non esse inducendas. Idem quoque declaravit sacra cong. Episcop. et Regular., die 16 Maii 1596, in una *Neapolitana* per hæc verba: « Che senza privilegio Apostolico non possono i confessori tener in mano le bache, come fanno i penitenzieri di Roma. »

(3. Quare cum sit contra usum totius Ecclesiæ, nusquam enim tales poenitentiarii virgam tenent, contra consuetudinem, et rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit sacra congr. Concilii, in una *Romana Poenitentiarii Lateranensis* die 13 Novembris 1639, de qua testatur Dominicus Andolphinus parochus S. Lucie ad Apothecas, vir pius et ecclesiastica eruditione apprime imbutus.

Major poenitentiarius potest concedere indulgentiam centum dierum omnibus Christifidelibus, qui ipsi poenitentiarii virga tangendos se submiserint. Innocent. XII, constit. incip. *Romanus Pontifex*.

VIRTUS.

De virtute speciatim hic agitur.

(1. Virtus generatim capta, est cujusque rei vigor bonaque dispositio, quæ subjectum, cui inest, in suo genere bonum, perfectumque, ejusque operationem aliquam excellentem reddit; v. g. oculi virtus est bona ac perfecta videndi acies: equi virtus est facilitas et promptitudo currendi, ac portandi: hominis virtus est bonus habitus, ex quo et bonus homo ipse efficitur, et bonum ejus opus redditur; unde Aristotel., II *Ethic.*,

c. 9, definit: « Virtus est, quæ bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit. »

(2. Virtus specificæ et proprie capta, prout reperitur in solâ substantia intellectuali, et non in brutis aut inanimatis, est habitus perficiens substantiam intellectualem, et ad bonam rectamque operationem inclinans. Sic in re doctores communiter.

(3. Et hæc virtus tripliciter dividitur: videlicet ex parte subjecti, in virtutes intel-

lectuales et morales; ex parte causæ efficientis, in infusas et acquisitas, et ex parte objecti, in theologicas, et morales. Ita doctores communiter.

(4. Virtutes intellectuales sunt illæ, quæ intellectum, in quo subjectantur, perficiunt in cognitione veri, et tales juxta Aristotelem vi *Ethic.*, c. 3, sunt quinque, nempe intellectus, scientia, sapientia, prudentia et ars, quibus addi potest fides infusa, et theologica, quam philosophus ignoravit. (5. Virtutes morales sunt illæ, quæ hominis voluntatem, in qua subjectantur, perficiunt in affectione ad bonum honestum, et tales sunt prudentia, justitia, fortitudo et temperantia, sub quibus aliæ continentur, vel ad illas reducuntur; prudentia enim, quamvis essentialiter sit virtus intellectualis, est tamen dux et regina omnium virtutum moralium. Vide *infra* num. 96.

(6. Virtutes infusæ, seu supernaturales sunt illæ quæ nequeunt per potentiam naturalem comparari, sed ex natura sua intrinseca postulant infundi, sicque nobis a Deo immediate infunduntur, ut sunt habitus fidei, spei et charitatis, qui etiam parvulis in sacramento baptismi divinitus infunduntur, ex concil. *Trident.* sess. vi, cap. 7, ibi: « In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem. » (7. Virtutes acquisitæ seu naturales sunt illæ, quæ ex natura sua possunt physice acquiri ab ipsa potentia per frequentationem actuum, et de facto nostris frequentatis actibus comparantur et acquiruntur, ut sunt habitus humilitatis, temperantiæ, mansuetudinis, et hujusmodi; unde philosophi dicunt quod *ex frequentatis actibus fit habitus.*

(8. Virtutes theologice ac supernaturales sunt illæ, quæ immediate et principaliter versantur circa Deum tanquam objectum quod, et formale, et tales sunt fides, spes et charitas; isæ enim solæ habent Deum pro objecto primario, quod creditur, quod speratur, quod diligitur, et etiam habent ipsum, ejusque attributum pro objecto motivo seu formali quo. (9. Virtutes morales ac naturales sunt illæ, quæ principaliter versantur circa aliquod objectum creatum tanquam objectum formale et terminativum quoad dirigendos mores et moderandos affectus animi nostri juxta dictamen rectæ rationis, et tales sunt prudentia, justitia, fortitudo et temperantia, sub quibus reliquæ omnes virtutes morales, vel tanquam *partes subjectivæ*, vel *potentiales et integrales* comprehenduntur.

(10. Unde virtus theologica ut sic, recte describitur, quod « sit habitus supernaturalis a Deo infusus, elevans animam, ut immediate feratur in Deum tanquam objectum. » Ita in re communis doctorum.

(11. Et virtus moralis, ut sic recte definitur, quod « sit habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos determinata ratione, prout sapiens definit; » ita Aristoteles, ii *Ethic.*, cap. 6; Scotus, in 3,

dist. 36, qu. unic., § *Dicitur*, et alii communiter. Ubi per ly *Habitus electivus* intelligitur habitus voluntatis, cum ipsa voluntas soleat appellari potentia electiva; et per ly *In mediocritate consistens*, etc., intelligitur, quod ad rationem virtutis requiritur mediocritas a recta ratione prudentis præfinita.

(12. Hinc currit illud vulgatum, quod *virtus in medio consistit, vitia autem ad extrema tendunt*. Vitium enim, prout opponitur virtuti, est habitus electivus a mediocritate declinans, sive est habitus inclinans in actus contra præscriptum rectæ rationis: (13. sicut enim virtus reddit habentem bonum, et ejus opus bonum, ita econtra vitium reddit habentem malum, et ejus opus malum. Vide *infra*, n. 93 et seq.

(14. Tunc autem formaliter, et secundum se *virtus in medio consistit, et vitia ad extrema tendunt*, quando ipsemet habitus inter duos extremos habitus vitiosos sibi oppositos versatur. Sic liberalitas mediat inter avaritiam et prodigalitem, nam quodlibet horum vitiorum extreme opponitur liberalitati; avaritia quidem per defectum, sumptus etiam necessarios non faciendo; prodigalitas vero per excessum, expendendo bonasua in sumptus non necessarios. Unde, ut vides, vitia ad extrema tendunt, nempe ad excessum et defectum; virtus vero amat et consecratur id quod inter utrumque dictum extremum medium est, sive mediocritate. Sit aliud exemplum. Qui facile omnia metuit ubi et quando non oportet, nihilque aggredi audet, is per defectum est vitiosus *timidus*; qui vero omnia aggredi audet etiam ubi et quando non oportet, nihilque timet, is per excessum est vitiosus *audax*; inter ipsos autem extreme oppositos vitiosos mediat virtuosus *fortis*, declinans ab utroque extremo, et medium tenens, metuendo scilicet, et non metuendo, aggrediendo aliquid, et non aggrediendo, ubi et quando oportet secundum rectam rationem; et sic de aliis.

(15. Virtutes quoque theologice ex parte actus seu exercitii earum consistunt in medio; in exercitio enim ipsarum potest dari tum excessus, tum defectus. Excessus quidem in fide, credendo aliquid Deo convenire quod non convenit, in spe, sperando, seu potius præsumendo beatitudinem consequi sine meritis aut ex propriis viribus; in charitate, diligendo Deum actione indebita, prout fieret, se ipsum ob amorem Dei putativum interficiendo, aut eidem immolando filium suum. Defectus autem in ipsis fieri potest, et de facto datur, non credendo sperando vel diligendo; prout debet tempore urgentis præcepti, sed discredendo pertinaciter, desperando, Deum odio habendo; unde ille vere virtutibus theologice est institutus, atque ornatus, qui prout debet, credit, sperat et diligit declinando ab utroque dicto extremo excessus et defectus, juxta illud *Isaia xxx, 21: Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque*

ad dextram, scilicet per excessum, neque ad sinistram, videlicet per defectum.

(16. Virtutes theologice sunt tantum tres, nempe fides, spes et charitas. *Communis*, et habetur clare ex Apostolo *I ad Corinth.*, cap. xiii, ubi has tres solum enumerat: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*; et ex *Trident.*, sess. vi, cap. 7, ubi solum has tres enumerat: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem.*

(17. Virtutes theologice sunt perfectiores omnibus virtutibus moralibus; virtutes enim theologice perfectius habent objectum, nempe ipsummet Deum, cum ordinentur ad Deum immediate, ad differentiam virtutum moralium, quæ ad Deum ordinantur tantum mediate. *Communis.*

(18. Major et perfectior inter ipsas virtutes theologicas est charitas; ipsa enim perfectius nos conjungit cum Deo, quam fides et spes. Unde Apostolus *I ad Corinth.*, cap. xiii, expresse dicit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.*

(19. Omnes tres virtutes theologice sunt adultis necessariae ad salutem; non possunt enim salvari adulti, nisi credant, sperent et diligant; actus enim credendi, sperandi et diligendi ex Dei ordinatione ab eorum habitibus procedunt, adeoque, etc. Unde Scotus, in 3, dist. 34, num. 6, expresse dicit: « Fide tenemus, tres virtutes theologicas esse necessarias, perficientes immediate animum respectu objecti increati. » Et S. August. serm. 53, *De tempore*, sic habet: « Tria quædam proposuit animæ nostræ necessaria beatus et egregius gentium Doctor dicens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas*; » unde Alexander VII, die 24 Septembris 1665, merito damnavit sequentem propositionem primam in ordine: « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium. »

(20. Quoad ea quæ concernunt fidem *Vide verb. FIDES per tot.*

(21. Spes est virtus theologica divinitus infusa, qua ex liberali Dei promissione fiducialiter desideramus nobis bonum infinitum per Dei auxilia et merita nostra obtinendum. Ita desumitur ex Scoto, in 3, dist. 56, qu. unic., n. 10.

(22. Spes est actus voluntatis idem cum desiderio. Scotus, *loco cit.*, num. 19, Scotistæ, et alii. Sperare enim, quantum ad præsens, idem est ac desiderare; quia spes fertur in bonum absens ut possidendum; actus autem ille, quo bonum absens ut possidendum appetitur, est desiderium, adeoque spes est actus voluntatis idem cum desiderio.

(23. Spes distinguitur realiter fide et caritate. Sanct. Thomas, 2-2, qu. 7, art. 6; Scotus, *loc. c.*, n. 17 et alii passim; et ratio est, quia ubi sunt distincti actus et distincta objecta formalia, ibi sunt distincti

realiter habitus. Fidei autem, spei et charitatis diversi sunt actus, cum actus fidei sit credere, actus spei desiderare, et actus charitatis diligere; item distincta sunt objecta formalia cum objectum formale fidei sit Deus, ut verax: spei sit Deus, ut nobis bonus et promissus; et charitatis sit Deus, ut bonus in se, adeoque, etc. Tum quia sperare idem est ac desiderare: desiderare autem est actus voluntatis, et credere est actus intellectus, adeoque spes distinguitur realiter a fide; item distinguitur realiter a charitate, quia charitas est amor amicitiae, quo Deus diligitur propter seipsum. Spes vero est amor concupiscentiæ, quo Deus diligitur propter nos, seu ut bonus nobis, adeoque, etc.

(24. Objectum materiale primarium spei est Deus possidendus. Est in re communis. Et ratio est clara, quia objectum materiale primarium spei nostræ est illud, quod expectamus in cælis: non expectamus autem Deum tantum, sed Deum in cælis possidere, adeoque objectum materiale primarium spei est Deus possidendus.

(25. Objectum autem materiale secundarium spei sunt omnia bona et auxilia ad beatitudinem, seu Dei possessionem consequendam necessaria. Est in re communis; et ratio est evidens, quia qui vult finem, vult et media necessaria ad ipsum finem consequendum, adeoque, qui sperat Deum in æterna gloria beatifice possidendum, sperat etiam media necessaria ad ipsum attingendum seu consequendum; uti sunt omnia bona, et Dei auxilia ad obtinendum remissionem peccatorum, ad meritorie operandum, et ad finaliter in gratia sanctificante perseverandum.

(26. Objectum formale spei est Deus, quatenus est nobis bonus; sic desumitur ex Scoto in 3, dist. 26, quæst. unica, et tenent Herincx, disput. 19, *De spe*, q. 1, n. 11; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, dist. 5, q. 1, conclus. 4, n. 6; Tannerus, tom. III, disp. 2, q. 1, n. 14, citans S. Thomam, Suarez, et alios; Sanig., tom. IV, dist. 4, q. 1, et alii plures contra alios. Et ratio nostra est, quia illud est objectum formale spei, quod proprie movet ad appetitum seu desiderium objecti materialis: talis autem ratio motiva est bonitas Dei respectiva nobis, seu Deus ut est bonus nobis, seu nobis commodum affert; voluntas enim nostra nihil appetit, nisi sub ratione boni, adeoque, etc.

(27. Spes reperitur in viatoribus, non tamen in omnibus. *Communis*; et quidem prima pars patet ex conc. *Trid.*, sess. vi, cap. 7, ubi expresse docet, in justificatione infundi fidem, spem et charitatem. *Vide supra* num. 6 et 16, ubi afferuntur verba præcisa concilii: et secunda pars patet de Judæis, Turcis, aliisque infidelibus et hæreticis, qui non habent spem theologicam et supernaturalem, quia, cum careant fide supernaturali, quæ est basis et fundamentum spei, carere debent etiam spe supernaturali; unde si vitam æternam sperent, id faciunt spe naturali et acquisita, sicut fide

naturali et humana credunt aliquos fidei articulos; item patet de peccatoribus illis, qui desperant de sua salute, isti enim spem amiserunt. Nam sicut habitus fidei deperditur per quemlibet actum infidelitatis, ita habitus spei etiam deperditur per quemlibet actum desperationis de salute vel mediis ad salutem.

(28. Spes remanet in animabus purgatorii. Communis inter Catholicos; et ratio est, quia ipsæ animæ vere expectant beatitudinem, quam cognoscunt obscuram, futuram, absentem et arduam, utpote acquirendam per pœnas quas patiuntur, non quidem merendo per illas, sed satisfaciendo.

(29. Spes nullatenus est in damnatis. Communissima, textu expresso in illo *Proverb. xi: Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.* Tum quia in damnatis viget perpetua desperatio, quæ est totaliter opposita spei.

(30. Spes non remanet in beatis. Communis; et clare habetur ad *Romanos viii, ibi: Spes, quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?* Atqui beati Deum vident, eoque perfecte fruuntur, ergo amplius illum non sperant.

(31. Virtuti spei opponuntur duo præcipua vitia, desperatio scilicet et præsumptio. Desperatio ei opponitur per defectum, ut cum quis desperat, sese remissionem peccatorum suorum, et beatitudinem æternam consecuturum, atque ideo ab ejus procuracione ob impossibilitatem, vel nimiam difficultatem mediis apprehensam omnino desistit. Præsumptio autem ei opponitur per excessum, ut cum quis præsumit se divinam gratiam, et æternam gloriam ex se ipso, et propriis viribus consequi posse, seu e contra præsumit se sola Dei misericordia ac liberalitate, et Christi meritis absque propria cooperatione per bona opera æternam beatitudinem consecuturum. Sic doctores communiter.

(32. Unde desperatio definitur, quod sit voluntaria et deliberata objectio omnis spei consequendi beatitudinem, vel media ad illam conducentia ex opinione impossibilitatis, aut nimie arduitatis. Est in re communis.

(33. Et præsumptio definitur, quod sit temeraria spes hominis sibi, aut Deo innixi consequendi gratiam et gloriam æternam absque mediis a Deo ordinatis. Est etiam in re communis.

(34. Charitas est virtus theologica divinitus infusa, qua diligitur Deus propter se super omnia, et proximus propter Deum. Communis. (35. Unde ex eodem motivo diligitur proximus charitate theologica, ac diligitur ipse Deus, et consequenter est unus et idem habitus charitatis inclinans ad diligendum Deum et proximum propter Deum; ubi enim unicum est operandi motivum, ibi sufficit unus habitus. Hinc S. Augustinus, *De Trinitate*, lib. viii, cap. 8, in fine, sic expresse dicit: « Ex una eademque charitate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, et proximum

propter Deum; » et ideo Scotus, dist. 8, num. 8, concludit quod « ratio bonitatis proximi non est ratio terminans actum, » nempe charitatis.

(36. Unde objectum materiale primarium charitatis est Deus, objectum vero secundarium est proximus noster. Communis. (37. Objectum autem formale seu motivum charitatis Dei est ipsamet Dei bonitas absoluta, qua in se infinite bonus est in omni genere entis et perfectionis. Sic in re Communis doctorum. Et ratio est, quia illud est objectum formale charitatis, quod est objectum beatitudinis; atqui Deus, ut absolute bonus, in omni genere entis et perfectionis est objectum beatitudinis, cum ut sic sit maxime satiativus, ergo, etc.

(38. Charitas theologica distinguitur realiter a fide et spe. Communis, cum Scoto, in 3, dist. 27, num. 2, ubi sic expresse habet: « Hæc virtus distincta est a fide, quia actus ejus non est credere; similiter a spe, quia actus ejus non est concupiscere bonum amanti, in quantum est commodum amantis, sed tendere in objectum secundum se, etiamsi per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas in amantem: » et ratio patet ex dictis supra, num. 23.

(39. Charitas in patria, seu in statu gloriæ cœlestis remanet in beatis. Communis, ac certa per illud *I Corinth. xiii: Charitas nunquam excidit; excideret autem charitas, si non remaneret in beatis; imo sancti in cœlis longe perfectius diligunt Deum, quam justi in hoc mundo.*

(40. Datur præceptum verum et speciale diligendi Deum etiam actu interno. Communis, text. expresso *Deuteronomii vi, ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota fortitudine tua; quod idem repetit Christus Matth. xxii, addens: Hoc est primum et maximum mandatum.* Et ne quis dubitet de hæc obligatione sub mortali, clamat Joann. apostol. *Epist. I, cap. iii: Qui non diligit, manet in morte.* Unde Alexander VII, die 24 Sept. 1665, merito damnavit sequentem propositionem primam in ordine: « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium. »

(41. Deus ex præcepto diligendus est super omnia, saltem appetitive, non vero intensive. Est communis, quoad primam partem, et communior quoad secundam. Ut facilius tamen hæc percipiatur conclusio, advertendum est cum Scoto, in 3, dist. 27, qu. unica, § *Quantum ad illum*, et aliis pluribus, quod Deus potest super omnia diligi dupliciter, scilicet appetitive et intensive: tunc Deus diligitur super omnia appetitive, seu æstivative, aut prælative, quando plures eum facimus quam omnes creaturas, ita ut parati simus potius omnia perdere, imo et vitam propriam, quam Deum offendere, sicque Deus omnibus creaturis præferre, et nullius timore, aut amore ab ejus amicitia seu charitate separari, juxta

illud Apostoli ad *Rom. viii, 38, ibi: Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei; (42. tunc autem diligitur Deus super omnia intensive, quando actu majori, seu conatu intensiori et vehementiori, aut teneriori ac ferventiori affectu Deum præ alio diligimus. Hac igitur terminorum explicatione præmissa,*

(43. Probatur conclusio quoad primam partem ex sacra Scriptura. *Matthæi* enim x Christus ait: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et Lucæ xiv: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus:* ergo si patri, et matri, uxori, filiis, et etiam nobis ipsis debemus Deum præferre, a fortiori debemus ipsum præferre cæteris creaturis: accedit ratio, quia cum Deus sit absolute et simpliciter super omnia bonus, etiam absolute et simpliciter est super omnia appetitive, seu æstivative vel prælative diligendus.

(44. Probatur quoad secundam partem, nempe quod Deus non sit ex præcepto diligendus super omnia intensive; et ratio est, quia pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, etc., sufficit quod eum diligamus super omnia appetitive, æstivative seu prælative, ita ut eum præferamus in appreciatione et æstimatione omnibus creaturis, et nobis ipsis, et nullius creaturæ amore vel timore velimus ejus præcepta transgredi; nam, ut habetur ex *Epist. I S. Joannis*, cap. ii: *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est; si ergo, qui observat Dei mandata, habet vere charitatem Dei perfectam, vere in hoc charitas Dei perfecta est, stat clarum quod pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, etc., sufficit quod eum diligamus super omnia appetitive, ejus præcepta plene observando præferenter ad amorem vel timorem cujuscunque creaturæ, ita ut nullius amore vel timore ea unquam transgrediamur: unde etiam ipsemet Christus Dominus solum proposuit hanc præceptorum observantiam, tanquam verum signum dilectionis ex affectu charitatis, *Joan. xiv, 23, ibi: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; adeoque, etc.**

(45. Tum quia si pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, etc., deberet diligi Deus super omnia intensive, sequeretur quod unus justus non posset intensius amare Deum, quam alius; et quod nec etiam amor requisitus pro adimplendo præcepto diligendi Deum posset ulatenus augeri, quod nullimode est dicendum, adeoque non requiritur necessario amor intensivus, sed sufficit appetitivus.

(46. Tum etiam, quia homines naturali inclinatione ferventiori affectu feruntur in

sensibilia et præsentia, quam insensibilia et absentia; unde fit, ut licite quis revera amet Deum super omnia appetitive, et tamen naturali virtute feratur intensiori affectu in aliquam creaturam absque offensa Dei, interim paratus et resolutus, ut si necesse esset, aut Deum offendere, aut illam creaturam amittere, omnino illam creaturam potius amitteret quam Deum offenderet. Et de facto, sicuti experientia constat, quod non semel aliquis catulum v. gr. aut aliam creaturam ferventius ac tenerius amet quam proprium filium, non tamen firmiter aut magis æstimate, quod inde cognoscitur, quia si vel catulum vel filium amittere deberet, utique potius catulum quam filium perdere vellet; ita etiam fieri potest, ut aliquis sine culpa intensius ac tenerius amet uxorem, filium aut amicum, quam ipsum Deum, non tamen firmiter et magis æstimate, si interim animo paratus sit et resolutus potius uxorem, filium aut amicum deserere, quam Deum offendere; unde quod *Matth. x Christus Dominus dicit: Qui amat patrem, vel matrem plus quam me, non est me dignus; intelligi debet secundum majorem appreciationem seu æstimationem, et non secundum majorem intentionem, juxta communem doctorum interpretationem teste Sporer, tom. I, tract. 2, in 1 præcept. Decalog., cap. 5, sect. 2, num. 29; Layman, lib. ii, tract. 3, cap. 2, n. 8, ubi refert hanc nostram sententiam ex communi doceri a Navarro, Suarez, Gabriele, Toletio, Valentia, et Sanchez; et tenet S. Bonaventura dist. 27, art. 2, quæst. 6; Sporer loco cit.; Boyvin., t. IV, disput. 3, De charitate, quæst. 1, vers. Dicitur 3; Felix Potestas, tom. I, part. ii, n. 286, ubi dicit, quod amor appetitivus est perfectior intensivo; Reiffenstuel, *Theol. mor.*, tract. 46, dist. 6, qu. 1, n. 7, alique plures Scotistæ, et Frassen, *De virtutibus theologis*, tract. 2, disp. 3, quæst. 3, conclus. 2, citans Scotum, in 3, dist. 27, n. 17, quavis ab aliis citetur, et revera teneatur pro sententia contraria per hæc sua verba, loco cit., n. 17, ibi: « Sicut enim teneor diligere Deum super omnia alia extensive, ita etiam majori affectu quam aliquod aliud, » quæ verba non parum urgent.*

(47. Præceptum diligendi Deum, prout est negativum, ne videlicet Deum odio habeamus, aut aliquid agamus quod ejus dilectioni et amicitie sit contrarium, obligat semper. Communissima.

(48. Præceptum autem affirmativum de Deo super omnia diligendo obligat solum certis temporibus. Communis. (49. Et hæc tempora quatuor potissimum a doctoribus solent assignari. Primo, circa initium usus rationis. Secundo, cum urgente gravi tentatione, periculum impendet homini, ne in odium Dei labatur, nisi ad Deum per actum dilectionis convertatur. Tertio, sæpius in vitæ decursu, ita ut non multo tempore differatur actus dilectionis Dei. Quarto, circa articulum mortis, et quoties tenetur quis elicere actum contritionis, v. gr. moriturus et sacrificaturus, si conscius peccati mortali-